

IVLII ROSCII  
HORTINI

DISPUTATIONES

De Natura Diuina


*Ad Illustriss. & Excell. Paulum Aemilium  
Caesium Marchionem Riani.*



Roma. Apud Haeredes Antonij Bladij Impressores Cam. 1584.

AD ILLUSTRIS. ET EXCELLEN.  
PAVLVM AEMILIVM.  
CAESIVM MARCHIONEM  
RIANI

Gabrielis Coriarij Heluetij  
Epigramma.



*Dum propiora Deo tecū ipse RIANE volutas,  
Menteq. diuini luminis hauris opes:  
Hic te stella velut directo tramite ducet  
Liber, & aethereis inseret ordinibus.  
Perlege: nō humilis veniet tibi gloria Princeps  
Cum bene cognoris Principis acta Dei.*




*Printed and Sold by J. H. B. in the year 1784*



PAVLO AEMILIO.

CAESIO MARCHIONI.

RIANI



F. Damianus Grana Veronensis Ordinis  
Seruorum S. P. D.



*Q*UOD ex operis huius pulcherrimi contemplatione, ceteriq. ipsius intuitu, Paule Aemili Illustrissime, tanquam compendiarie quaedam via ad Dei cognitionem deduceremur, Plato Astrologiam omnium artium praclarissimam censuisse dicitur. Est enim hic mundus quidam

\* 2 quasi

quasi magister humana natura, ut non modo Deum esse doceat, sed eundem artificem, & architectum, conservatorem, ac rerum omnium humanarum gubernatorem concludat. Quorum omnium tam suavis esse solet, ac iucunda contemplatio, ut dum de ijs cogitamus, non in terris nos agere, sed inter Divos versari videamur. Ego certe, ut quod sentio libere fatear, maiorem ex divina natura consideratione voluptatem capio, quam ex alia ulla re. Cetera enim omnia caduca per se, & non diu duratura animum exple-re non possunt, qui immortalis est, & rerum aeternarum capax. Quod idem facere te intelligo, qui studiorum tuorum partem divinis rebus impartiris. & interdum à curis omnibus semotus in attentissima rerum altissimarum contemplatione conquiescis. Quod in quocumque laudandum, in te vero maxime, qui in negotijs gravissimis occupatus tantum temporis suffurari studeas, ut ad haec studia,

studia, prater illa iurisprudentia tibi fami-  
 liarissima, animum mentemq, conuertas.  
 Imitatus scilicet patrum tuum Petrum  
 Donatum Casium Cardinalem optimum,  
 Et in hac Bononiensi legatione, ut in rebus  
 omnibus prudentissimum, Et studiosorum  
 patronum, ac priscam illam Casiorum gen-  
 tem, qua semper in religione iuuanda insigni  
 eruditione floruit; hoc etiam exemplum he-  
 reditario iure relinquere statuisti Andrea  
 F. ut cum aetate doctrina etiam cresceret.  
 Ego vero qui ut tibi, tuisque mentem istam  
 conseruaret Deum opt. semper precatus sum;  
 nunc cum librum de Natura Diuina à Iu-  
 lio Roscio Hortino mei amantissimo reni-  
 tente elicuissem, nolui occasionem omittere  
 qua tua maxime voluptati, ac desiderio sa-  
 tisfacerem. Habet enim cum Gentibus di-  
 putationes subtiles, Et ubertate, Et eruditio-  
 ne plenissimas: quas libri sex sequetur quib.  
 qua de Deo à Theologis differuntur, doctri-  
 na,

na, & eloquentia non vulgari complectetur.  
Hunc igitur primum librum tuo nomine in  
lucem edere statui, ut in hac disciplina alios  
quoquo modo iuarem; tibiq. praesertim  
hanc studiorum viam ingresso, uxoriq. tuae  
Illustriss. Portiae Ceri mei ordinis Seruo-  
rum, & huius ipsius caenobij, & ecclesiae,  
in qua nunc vivo studiosissima, gratiam ali-  
quam viderer retulisse. Sic enim soleo benefi-  
ciorum esse memor, ut non secus, ac Themis-  
toci Milchiadis trophaea somnum adime-  
bant: ita mihi beneficijs tuis gratia referen-  
da cura, ingensq. sollicitudo noctes diesq. de-  
trahat. Et licet sciam me non esse soluendo:  
gratiam tamē quam habui, habebo semper:  
cum & relata habeatur gratia, & habendo  
referatur. Si quid igitur mihi humanitus  
acciderit (solent autem multa praeter opi-  
nionem, expectationemq. in hac praesertim  
suprema aetate) hoc volui omnibus esse te-  
statum, argumentum meae in Casiam fami-  
liam

liam observantia singularis: Vale: Ro-  
 ma. Ex cœnobia sanctæ Maria in Via  
 Fratrum Servorum. Idibus Januarij:  
 M. D. LXXVIII.

*[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like "Deum esse", "Deum esse", "Deum esse", "Deum esse", "Deum esse"]*






I N D E X

Disputationum de Diuina Natura.

- Deum esse rationibus naturalibus probari Disputatio Prima.*  
*Plures Deos esse non posse Disputatio II.*  
*Deum esse corporis expertem Disputatio III.*  
*Deum esse infinitum Disputatio IV.*  
*Deum vniuersi huius artificem esse & architectum Disputatio V.*  
*Rerum omnium conseruationem à Deo existere Disputatio VI.*  
*Deum rerum humanarum gubernationem gerere Disputatio VII.*







# ROSCII HORTINI DISPUTATIONES

De Natura Diuina.

*Deum esse rationibus naturalibus probari.*

## DISPUTATIO PRIMA.



**I**CET quod quærimus non sit ex eorum numero, quæ primo sui euidẽtia notissima sunt, tamen ita se res habet, vt opinionem de Deo in prospectum ita natura posuerit, vt illũ esse prompta, atq. expedita ratione colligamus. Admirationem enim tantam mouet sui hæc mundi forma, hic ordo, hæc vniuersi cõsensio, hic orbium caelestium vniformis motus, vt vel immanes ferae si intelligere, ac loqui possent aliquod numen esse & fiterentur, & prædicarent. Itaq. nulla fuit tam barbara natio, nulla gens tam effera, cui non innata esset persuasio de diuina natura: vt qui in alijs vitæ partibus minimũ videbantur à belluis differre, maluerint subiicere se rebus inanimis, & stipitem aut lapidem venerari, quam sine religione viuere: adeo penitus omnium animos occupauerat communis de Deo prænotio. In qua quidem mente quamquam multa mortales confirmare potuerunt; mihi tamen placuit rationes aliquot in medium afferre, quæ ad institutam disputationem efficaciores visæ sunt: vt si qui forte fuerint, qui in tanta luce cæcutiant, plane veritatis lumine illustrentur.

Et certe, si Deus natura quædam est præstantissima, vt com-

A                      munis

## DE NATURA DIVINA

munis est notio huius vniuersitatis ordo postulat vt vna natura perfectior sit altera, inter quas prima sit quę excellat ita, vt ipsi nulla ad sit imperfectio, quę possit in aliquam naturam cadere; sed omnes omnium rerum perfectiones amplexa sit. Ponamus enim, A. perfectionem siue perfectionis conditionem, quā aliquis desideraret in prima natura. Peto an, A. enti vt ens est cōpetat. Si neges, non erit perfectio; quin figmentū potius. Rursus peto num. A. competat enti primo, & perfectissimo. Si inficieris, certe, A. per se & necessario includet imperfectionē; inferetq; negationē summi gradus, cum p se repugnet nature perfectissimę. Non n. expecto, vt stulte dicas conditionē nobiliore inferiori nature tribuendā esse. Nā in rerū serie nobilior gradus superiori nature tribuitur. Non igitur negetur summus quidam gradus, naturaq; nobilior creaturis, ne fateri cogamur perfectiones, quę in creaturis reperiuntur non posse Deo attribui; cum tñ Philosophi, & quot quot altissima illa indagari, conditiones, quas nobiliores in rebus creatis reperissent Deo reddiderint. Naturali. n. ratione quisq; iudicat præferenda esse viuētia non viuētib; intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, beata ac felicia miseris & infauis, creatorem demum creaturis. Quis est ergo qui neget naturā esse viuētem, intelligentem, immortalem, optimam & beatam vitā agentem, quę perfectione præstet rebus omnibus, cum viri urbani, & eruditi, agrestes & ignari atq; in agro ipso educati hanc regulam certissimā sequantur, vt quod optimum est & præstantissimum, Deum esse existiment?

Secundum argumentum erit eiusmodi. Aliquod ens est non effectum ab alio, & sine extra se carens. Quod enim per se refertur ad alterum vt finem, aliquid habet se ipso præstantius. Iam vero quod sine à natura sua alieno vacat, id ipsum sui effectricem causam non agnoscit. Igitur concedi debet à quibuslibet prima quędam natura: forma tenenda est aliqua prima, qua non sit alia superior: alioqui nullum, quantum video, generandi modum faciemus; sed innumerabilis quędam series formarum, quę gignant, & gignantur, concedenda erit.

DISPUTATIO I.

erit. Quod si natura infinitatē istam causarū non amat, sententiam illam nostrā teneamus, primam quandam mentē esse; p̄fertim cum pateat elementa esse propter plantas, plantas p̄pter animantia, animantia propter hominem, hominē propter vniuersum. Igitur vniversum debet esse propter Deū, quia ad ipsū omnia referuntur. Dices nō sequitur infinita multitudo entium existentium; sed solum progressus secundum successione in producentibus & productis, vt omne quod nunc existit sit effectū ab alio non quidem nunc existente, sed corrupto, vt homo qui nūc viuit est quidē genitus; at pater perijt; vt circulus quidam sit rerum mortaliū, non tñ timendum sit de infinitate. Cui ego responsioni sic obijcio. Eiusmodi successio infinita eorum que oriuntur & intereunt non potest habere perēnem cursum, nisi per aliquā naturam infinitæ atq. æternæ durationis. Igitur perēnitas alicuius requiritur. An materię, ex qua existit ortus & interitus? At neq. ipsa quidē sine alio permanente posset existere. De huius permanentis natura q̄ritur an careat sui effectrice causa. Quod si concedatur p̄positum concludemus. Si vero dicatur effectum esse ab alio, illud certe erit aliquod æternum ac permanens, quod aliunde non pendeat, ne eadem infinitate reuoluamur. Quamobrē finis faciendus est in mente aliqua prima & non producta, ne cogamur multitudinem quandā infinitam ponere entium æternorum, quorum quodlibet ab alio effectum sit.

Video tñ quosdam id non perhorrescere, neq. absurdū putare dari progressum in infinitum in causis. Contra quos ego neq. in causis essentialiter, neq. accidentaliter ordinatis infinitatem hanc concedi posse demōstro. Sed in primis afferamus triplicem differentiā inter causas per se, seu essentialiter ordinatas & per accidens. Prima est. In causis per se ordinatis causa quęcūq. inferior depēdet à superiori. Quod nego in causis per accidens. Secunda est. In causis per se & essentialiter ordinatis existit causa diuersę rationis & ordinis vt semper superior perfectionem maiorē fortiatur. In causis n. per se sufficit vnā vnus rationis. Id verò in causis per accidens nego. Tertia

A 2 est.

DE NATURA DIVINA

4  
 est. Quod omnes causę per se & essentialiter ordinatę simul necessario requiruntur ad effectum producendũ. Quod non requiritur in causis per accidens. Ex qua triplici differentia triplex genus argumentorũ elicitur. Primum est vniuersitatę causarum quę sint inter se essentialiter ordinatę quilibet a superiori dependere, vt ad primã deuenire necesse sit, a qua oritur virtus in alias vtiq. ad extremas diffusa. Ex secunda conficitur superiorem causam in infinitum esse perfectiorę. Ex tertia colligitur vel vna natura, eadęq. infinita, vel infinite nature. Vniuersitas igitur effectuum & essentialiter ordinatorũ effecta est. Igitur ab aliqua causa, quę non sit aliquid illius vniuersitatis, alioqui tu met. esset causa. Igitur vel dabitur prima, vel erunt causę infinite simul actu essentialiter ordinatę. Quod *est* contra hypotesim, quia in ordine quod prius est, est primo, p. inquis. Vbi igitur nullũ est primũ, neq. vltius est ibidẽ ordo essentialis. Prima n. causa eo ipso quia cęteris superior infinite pfectiois est, quę cum vi sua agat, maxime etiam influet. Cui ergo notari non poterit vnde primo influxus promanet, non secus ac riuuulo ad fontem, vnde primo ille oriebatur perducimur? & id quidẽ satis demonstrat in causis per se, seu essentialiter ordinatis. Nam de causis aduentitijs siue per accidens nulla nũc quęstio est; nec siquidem de vi in iis progressus in infinitum obest causę nostre de existentiã diuinę naturę. Atq. ego certe neq. in iis quidẽ fateor. Innititas, n. eiusmodi ex cõi schola non simul esset, sed successiue: exemplum est in filio qui generaretur vt viuo, sic etiam patre mortuo. Quę quidem successio vt stare posset sine mentis alicuius infinita duratione? cuius viribus existeret filius dum viueret, dum in matris sinu foueretur, an in hanc lucẽ prodiret? cuius vi staret vniuersum? Necesse certe est in omni genere causarum fateri, cum se natura hęc tueri non possit, alicuius primę causę virtute quę nullo modo aliq. de pendeat, sustineri.

Hęc ego subtilius, vt si qui posito in causis infinito pgressu ad vnum primum deueniri impie denegauerint planẽ conuincantur. Sed vt mihi videtur naturam ipsam intuentibus argu-  
 menta

menta occurrunt maximā diuinitatis: atq; inter cetera aspectus  
 cæli maxime, quod Pythagoras instrumentum Dei, ac lyram  
 vocauit. Vniuersa. n. illa cælestis regio veluti pellis extensa, ac  
 stellis distincta latissimè lucēs satis per se sufficere videtur ad  
 diuini numinis confirmationem. Ac quis neget mētis alicuius  
 fuisse opus tm̄ s̄ situs, numerus, disparitas, celeritas, æqualitas,  
 in tanta motuum varietate constantia; solis accessus & recessus  
 varij, temporum vicissitudines à fortuna esse non possunt,  
 quæ amica varietatis omnem tollit constantiā. Ipsa vero fulgura,  
 tonitrua, cometarū cursus, ventorū motus, aquarū inundationes  
 pluuiæ ac pcellæ, Iridis colores varij, & alia innumera,  
 quæ in sublimi sunt clarioribus adhuc argumentis id ipsū  
 testari videntur. Nec vero relinquimus interea cogitationē rerum  
 humanarū quas nullius ingenij vis, aut vbertas narrando  
 assequi posset. In his ipsis terris admirabilis quædam est partium  
 proportio, mira propensionum applicatio, quæ oēs ad bonum  
 feruntur, tam apte temperatę vt cum contrarię videantur pro  
 varia tm̄ bonorum natura, q̄ expectunt longissima tandem causa-  
 rum serie inter se pulcherrime colligantur: vt propterea harmoniam  
 quandā finxerint Pythagorei, quæ sine artificis alicuius  
 arte vt fieri possit nō video. Ipsa vero animantia & inanimata  
 dum vim cæli excipiunt, qua sustentur, aluntur, & ad maturitatem  
 pubescunt tanto beneficio à superioribus affecta, illis  
 quas possunt gratias referre gestiunt. Quocūq; igitur oculos cō-  
 uertas de Deo suspicabere. Nulla. n. est mūdi particula, in qua  
 non scintillę saltem aliquæ ipsius glorię emicent, vt vix vnico  
 intuitu amplissimā, latissimēq; patentē naturę huius vniuersi-  
 tatem lustrare possis, quin statim eius magnitudine atq; infinitate  
 obruaris. Quod diuinus planè vt significauit qui seculū  
 inuisibilium rerum spectacula nūcupauit, quod nobis in hac  
 mundi fabrica tāquam in speculo illē reluceat, qui lucem ha-  
 bitat inaccessibilem. Atq; vt res planè intelligatur, fingamus  
 aliquem mortalium sub terrarum cavernis temper habitasse,  
 aut obscurissimis tenebris circūfusum nihil vnquam vidisse,  
 nihil audiuisse ab alijs de hac distributione naturę: non fuisse

6 DE NATURA DIVINA

admiratum hanc rerum varietate distinctam multipliciter terminatam in essentia, & virtute; ut non quolibet oriatur, sed omnis natura infra cancellos suos cōtinetur: non observasse essentias perfectione inæquales, ut videntes & sensibus expertes: non considerasse ut omnia inter se connexa sint, utq. ex omnium aggregatione conurgat totus mundus, eiusq. venustas & pulchritudo: iamq. demū mundum ingressū non suspicaturū putamus de divino numine? Hunc cum celi spatia aspexerit, solem item atq. lunam, & innumerabilia mundi astra animadverterit, contemplatus fuerit dierum, noctiūq. perpetuas vicissitudines, cum in tenebris antea semper fuisset veritatus, non crediturū putamus tam amplum, pulcherrimūq. theatrum, quale est cælum mente aliqua regi? Certe aliquis domum supellectili pretiosa ornata ingressus eandemq. vacuā omni genere hominum circūspiciens nonne statim inquireret apud se quis domum instruxerit, aut ne suspicabitur quidem aliquem fuisse necessario, qui eam tam apte exornavit? Possidonius ille stoicus cum nūdinas adiret mirabatur rerum ordinē, & numerum hominum, & hic non admiraretur hæc stupenda naturæ miracula, quæ quibusdam vlu minora videntur?

*Act, Act*

Verum si placet hunc ipsum hominem, quem ex cavernis suis eduximus, & ad hanc lucem evocavimus, rursus in illas tenebras sese abdere videamus. Sit ille in tenebris, sit in cavernis suis, nec amplius de hac natura philosophetur. Relinquat ordinem vniuersi, descriptionem cælorum tam elegantem: secum tacitus contēpletur se ipsum solum, quæratq. corporis sui causas, ut extiterit, unde partes sortitus sit tā apte figuratas & distinctas, quibus varias functiones obire possit: cogitet & indaget quænam fuerit illa vis architecta corporis sui, quæ vitam, motum, sensus, intelligentiam dederit. Quis nervis, carnibus, ossibus, mēbranis se vestierit. Quis corpus toti arterijs & venis quasi fluiijs irrigarit. Quis mentem corpori coniunxerit. Cur sit procreatus. Quis finis futurus sit ortus sui, aut obitus. Quamobrem excitetur ad bonum aliquod summum, infinitum, in quo non fluctuet amplius animus; sed ut in fine conquiescat.

DISPUTATIO I:

conquiescat. Ex hac contemplatione relictis omnibus alijs argumentis facile concludet diuinam aliquam naturam esse. Et vt ego quidem certe existimo in ipsis cauernis, si sic loqui fas est, speciem quandam boni omnium optimam animo complexus, naturam infinitam & prapotentem, simplicem & immutabilem, intelligentem & beatam supplex veneraretur diuino praesertim aspirante auxilio quod nuquam deest facienti quod in se est, nec defuit vnquam recte agentibus, & viam veritatis inquirentibus.

Hac notione instructus aliquis, hisq. naturae doctoribus vsus accendi potuit ad effectorem tot tantorumq. operum studio magis, magisq. prosequendum: secum praeterea meditatus illum certis, statisq. temporibus ad agrorum vbertate pluias elargiri: auras salubres excitare ad vitam feliciter traducendam & tam multa commoda praestare humanae naturae. Praclare vt mihi videtur sextus empyricus, licet in ceteris liberior ex scepticorum schola, de Deo optimo philosophabatur. Cum veteres inquit ille contemplati essent solem veluti in stadio luce sua diem reddere, & splendorem aliarum stellarum quasi choreas agentium noctis tenebras quodammodo imminuere; crediderunt aliquem esse auctorem huius motionis & ordinis; non secus ac si quis sedens super Troianam Idam prospexisset Graecorum exercitum campis latissimis distinctum, eundemq. instructissimum equitum, peditumq. multitudinem, statim fuisset suspicatus aliquem esse Heroum qui militibus praeset, qui ve regeret ac moderaretur vniuersa. Plutarchus vero in primo de placitis philosophorum capite sexto scribit Dei notionem fuisse a philosophis primum ex stellis collectam, cum ipsarum die ac nocte hyeme atq. aestate certos ortus atq. occasus conspexissent.

Quod si sitim explere cupimus ad nostrae ecclesiae Patres quasi fontes vberissimos nos penitus conuertamus, qui infinitis in locis respondent questionibus maximis & occultissimis tanta facilitate, vt diuina ante oculos ponere videantur. Inter quos Gregorius Nissenus in secunda oratione de Theologia, & in libro de vita Moysis eius exemplo docet ascendendum esse in montem,

montem, vnde ordo creaturarum, & pulcherrima earundem dispositio p̄spicitur. Athanasius in oratione contra idola virtut hac elementorum discordia & cytharæ exemplo vt vniversi artem doceat artificis alicuius opera excitatam. Et Clemens Alexandrinus oratione adhortatoria ad gentes eloquentissimè ex ordine vniversi & harmonia iuuatissima naturam vnā præstantissimam colligit. Ac Theodorus quinque sermones scripsit quinque argumentis ex natura deductis distinctos ad diuinam naturam ostendendam. Primum est ex cælo. Secundum ex elementis fluminibus, & fontibus. Tertium ex fabrica corporis humani. Quartum ex hominum inuentis. Quintum ex imperio quod habet homo in bruta. Legendus est præterea D. Augustinus in psalmū xij. & de spiritu & litera capite xij. & de Verbis Domini sermone lv. Anselmus etiam in monologio & prologo initio vtriusq. operis probat lumine naturæ hominem venire posse in cognitionem Dei, licet ille paulo plus fortasse persuadere conatus sit, quam oporteret.

Mihi vero ad finem disputationis properanti antiquus nescio quis occurrit ex umbraculis philosophorum euocatus. Mundus inquit, à se regitur, quid igitur opus est Deo? Iustitiam venerando philosopho quamquam vt videtur importunissimo. Quæro igitur aut mundus conditorem habet, aut non? Tum an caret intelligentia, necne? Respondes ad primam questionem non agnoscere sui productorem. Si n. productorem ponas, nulla erit inter nos controuersia. Ipsum n. vt Deum colam ac venerabor. Ad secundam dicis nec sentire, nec sapere. Quomodo igitur tam admirabili ordine tot rerū genera partitur, & æque dispensat? Præterea vel minimū animal si mouetur sensu aliquo indiget, & Deus intelligentia destituetur. Si dixeris mundum præditum esse cognitione & virtute, æq. regere ac gubernare, vt ideo voluerint veteres mundum esse quoddam maximum animal anima præditum quod intelligat, omnia moueat, omnia gubernet; nō omnino Deum negabis. Ac ego tunc Deum animo concipiā in vniversi quiddem partibus circūsum; ita tamen distinctum atq. ab omni materia



DISPUTATIO II.

materia segregatum, vt mundi neq. pars sit neq. forma. Hic certe Deus erit a nullo pendens, se ipso contentus causa & origo omnium prima, singularis, in omni expectendorum genere vltimus, & optimus; vt penitus omnem Deorū multitudinē infinitate sua & perfectione reiiciat. Quam quidem nos etiā ad religionis nostræ defensionem cōfutare conabimur in hac quæ proxime sequitur disputatione.

*Plures Deos esse non posse*

DISPUTATIO II.



Quod Deus voce sua mortalibus testatus est, vt scripturarum sacrarum monumenta exclamāt de vnitāte diuinæ naturæ, id ipsum ratione humana efficacissime probari posse existimandū est. Placuit igitur mihi ordinem sequuto, eorū quæ tractanda suscepi, potissima quædam argu-

menta in medium asserre, nō quidem ad certitudinem; sed ad euidētiā & explicationem diuinorum mysteriorum.

Sit ergo primum argumentum eiusmodi. Si plures Dij esse possunt, igitur erunt ij, plures naturæ necessariæ & aliquibus proprijs rationibus, iisdemq. realibus distinctæ; non enim ratione solum distinguerentur: ille, vocentur .A. & .B. vt existimo in eo, in quo conuenient erunt formaliter necessariæ. Igitur vtraq. natura illis duabus rationibus formalibus erit necessaria. Quod esse nō potest: quia cū neutra earum rationum aliam per se includat, fiet vt quelibet qualibet circumscripta sit necesse esse. Si uero per illas rationes, quibus duo Dij formaliter distinguerētur, neuter formaliter esset necessarius, sequeretur, vt nec illæ rationes essent formaliter necessariæ, nec alteruter necessarius, cum Deus ex cōmuni consensu sit ipsa necessitas. Quæ quidem ratio hunc in modum confirmari posset. Si plura sunt prima principia, verbi gratia duo, quorū neu-

178197

B trina

DE NATURA DIVINA

10  
 trum ab altero pendeat, vtrunq. erit ipsum esse, & necesse esse  
 Hoc enim precipue primo principio cōuenire videtur. Quod  
 si quispiam dixerit eorum alterum esse ipsum esse, seu necesse  
 ex se esse, alterum vero minime, seu neutrum, fateatur is quoq.  
 opus est, eorum alterum solum esse primum principium, illud  
 inquam quod est ipsum esse. Alterum vero, in quo esse inest  
 participatione quadam pendere a primo principio; non tamē  
 esse primum. Quod si neutrum fuerit ipsum esse, confestim se-  
 quitur neutrum etiam esse primum entium principium; sed eorū  
 vtrumq. dependere a tertio quodam vtroq. priori. Quibus ar-  
 gumētis coactus si cōcesserit eorū vtrumq. esse & ex se neces-  
 se esse, certe cum differant inter se, duo namq. ponuntur, pro-  
 culdubio quopiam alio different quam ipso esse, quod ex quo  
 vtriusque conuenire concessum est. Non enim plura esse ac dis-  
 tingui eo poterunt quo conueniunt. Et quidem ratio Parmeni-  
 dis efficacissime meo iudicio id ipsum probasse visa est. Nam  
 quicquid est præter ipsum ens idest præter ipsum esse, quod so-  
 lum vere est ens, est non ens. reliqua enim solū participatione  
 ipsius esse existunt, fouentur, ac conseruantur.

Secundum argumētum. Sint. A. & B. duo Dij Tunc peto  
 .A. vel intelligit. B. distincte intuitiue & perfecte vel nō. Si hoc  
 vltimum affirmes, igitur intellectus .A. erit imperfectus, quia  
 obiectum perfectissimum ac nobilissimum nō intelligit. Nec  
 dixeris, A. non plane intelligere. B. sed aliqua ex parte: quia cū  
 B. intelligat se perfecte, in aliqua perfectissima cognitione. B.  
 præstaret. A. si primum concesseris. A. intelligere. B. distincte.  
 Igitur. A. nō esset in se ipso beatus. Si enim se ipso contentus  
 esset, nullam sibi vendicaret aliunde aut cognitionem aut feli-  
 citatem. Nam cum Deum animo concipimus, intelligimus na-  
 turam quandam reliquis omnibus excellentiorem, cui nihil  
 desit, quæ nihil aliunde expectet, aut accersat; sed omnia in se  
 ipsa contineat. At si multi sunt Dij alter ab altero, aut intelli-  
 gētiam, aut felicitatē mutuaretur. Neuter ergo haberet propriā  
 quandam beatitudinem. Quomodo ergo Dij? Confirmatur idē  
 argumētum, Aut. A. est sufficiens medium & ratio perfecte re-  
 presenta-

## DISPUTATIO II.

11

179

presentatiua ipsius B. aut nō. Si primum dederis. Igitur. A. erit obiectū perfectius ipso. B. quia ab hoc nō pendet. A. Si secundū dederis, vt nec sibi met satisfat in intellectu, fiet vt neuter Deus sit: quia eodem modo de. B. respectu. A. procedet argumentum.

Tertiū argumentum ex amore vtriusq. depromptum. Aut .A. diligit. B. quantū se ipsum, aut non. Si primum dederis, sequentur hæc absurda. Primum quidem. A. diligere naturaliter æque suū esse, ac esse alterius omnino distincti, atq. extrinseci a quo non dependet. Secundum absurdum est. A. beatum esse per aliquod obiectum externum, & a natura propria alienum. Tertium absurdum. Vtrumq. æque beatū esse in duobus obiectis disparatis, quorum quocumq. circumscripto. quilibet tamen esset beatus. Sed fortasse referes te ad alteram partem his absurdis deterritus. A. igitur non diligit. B. æque ac se ipsum. At. B. est æque summum bonum, igitur summæ dilectionis obiectum. Tum nulla afferri posset ratio cur diligeretur secundū talem vel talem gradum citra summum. Dices. A. non fruitur. B. sed vititur. At istud repugnat: quia A. inordinate diligeret. B. non enim B. est obiectum vsus, aut eius naturæ vt in alium finem referatur.

Quartum argumentum. Si per te philosophæ esse possunt plures Di. Sint. A. & B. Hi an erunt eiusdem substantiæ, eiusdemq. speciei specialissimæ, an alterius? si primum concedatur. Igitur alteruter erit superfluous: quia quicquid possunt duo indiuidua eiusdem rationis, æque poterit alterum sine altero, si perfectum sit. Ergo si sufficit vnum vt sit princeps, vt sit prima causa, vt sit vltimus finis vniuersi, frustra ponuntur plura: quia si in hac natura nostra nō est ponenda pluralitas sine necessitate, ergo neq. in rebus æternis & primis. Si vero dixeris alterum esse alterius naturæ; alter certo erit imperfectus & diminutus, quod vnus per se solus sustinere nō possit onus vniuersi & dependentiam rerum humanarum: nec vnus sit finis optimus, ad quem vniuersa referantur. Quod esse solet in ordinibus bene ac sapienter constitutis. Ergo ad vnum omnia,

obom

B 2 vt

ut ad vltimum finē referuntur. Dices vnus est ad alterum, sed  
 in infinitum. At qui vnus influeret in alium in ista infinitate?  
 Qui consentiret in vnum tota natura, si non concedatur pri-  
 mus influxus? Tum quolibet dato, qui dependeret eo ipso nō  
 esset Deus. Duo igitur erunt independentes Dij. est autē om-  
 nis Principum multitudo periculosa, vt inquit Aristoteles ex  
 sententia Homeri, qui peritissimus omniū ab antiquitate ha-  
 bitus est. Multi enim nisi conueniant, & quodammodo fiant  
 vnum distrahent, & corrumpent ea, quibus præsunt, sicq. om-  
 nis vna cōfusio sequetur, & omnium euersio extrema. Quod  
 ergo multi bene præsint non ijs parte cōuenit, sed per accidēs,  
 quatenus hi multi quodammodo fiunt vnū. Id vero quod per  
 accidens est, esse nequit primum principium. Vnus ergo est  
 Deus, qui summa sapientia mundum administrat. Vnus qui  
 consulit vnitati, connexioni, ordini, fini, & bono vniuersi. Sē-  
 per enim in ascensu ad paucitatem properamus, vt tandem in  
 vnitatem conquiescamus. Vt enim illi qui numeris omnia me-  
 pitabant dicebant monada esse intellectum dryada scientiā  
 triada opinionem, tetarten sensus; quod primum semper vnū  
 sit, & quo magis ab vnitatem discedimus eo ad imperfectius de-  
 labamur. Vnde ille altissime philosophabatur. Monas genuit  
 Monadē ex binario, ternario & quaternario: quia Deus vnus  
 est qui genuit vniuersum quod vnum est, & omnia est com-  
 plexum. ex binario idest ex Angelis, qui primum ab vni-  
 tate discedūt, ex ternario idest cælis, qui tertio in gradu sūt re-  
 rum & ex quaternario idest quatuor elementis & tota na-  
 tura. Quamobrem si perfectissimum ponēdum est, vnū erit.  
 Atq. his quidem satis sit lumine naturæ demōstratum nul-  
 lo modo esse posse plures Deos. Quod si qui subtiliora adhuc  
 desiderant, vt vere possunt a subtilioribus ingenijs expectare,  
 perpendāt rationes, quas Athenis philosophi iactabant in  
 scholis suis, cum disputationes instituerēt, de principijs rerū,  
 de ortu & natura formarum, de motu, de tempore, de conuer-  
 sione cælorum, de ijs quibus perpetuo vtitur sensibus, deq.  
 cæteris naturæ mysterijs. Mihi vero patres ecclesiæ nostræ nō  
 modo

DISPUTATIO II. 13

modo in altissima quam tradunt disciplina, sed in simplicitate sua multo magis philosophorum subtilitatibus placent. Hos ego sequor ac veneror. Quos & ab alijs legi maxime vellem. Illi enim tum in omnibus controuersis religionis nostrae copiosi sunt, tum in his cum gentibus disputationibus eloquentia, & eruditione certare videntur. Legatur igitur Ireneus libro tertio, capite sexto, qui argumentatur ex eo Deum esse vnum; quia est ens perfectissimū. D. Dionysius in fine libri de diuinis nominibus probat ex eo quia omnis multitudo reducitur ad vnitatem. Athanasius in oratione contra idola ex eo quod mundus hic est vnicus concludit eius opificem ac moderatorem vnicum esse oportere. Impium certe inquit, pariter & absurdū vnum opus esse credere, plures autem operatores. Cyprianus in prologo de operibus cardinalibus, & tractatu quarto contra idola arguit ex regnorum duratione & lapsu, descenditq. longa oratione usq. ad apes & greges vt ad vnum gubernatorem vniuersi deducat. Atq. Origenes ita argumentabatur libro v. contra Celsum pene in medio: neq. Aethiopes Vraniā colunt, neq. Arabes Iouem. fiet vt si quis Aethiopū necessitate aliqua coactus ad Arabes venerit impietatis coarguatur & vitæ periculum certissimum adeat si Vraniam coluerit. Abeat igitur infinitas illa Deorum explosa a Lactatio Firmiano in libro primo de falsa religione capite tertio & sequentibus vel ipsorum poetarum, ac veterum Aegyptiorum innumeris testimonijs & ab ipso Augustino in libris de ciuitate Dei, efficacissimis argumentis confutata. Quamquam & ille preclare beatas vocat gentes quarum nascantur in hortis numina. Habemus praeterea plurimos ex ijs ipsis illius saeculi, qui opinionem nostram alijs persuadere conati sunt. Inter quos vnus Xenophanis Colophonij memoria repetenda videtur. Si plures, arguebat ille, sunt Dij vel sunt pari vel impari potentia. Si impari quo pacto debiliores sint Dij, ipsi viderint. Si omnes pares sunt, & alius nolens volente impediatur, res iam fieri & non fieri poterit. Quod non potest sine risu intelligi. Multa igitur odia, & pugnae assiduae inter hos Deos intercedunt; quoniam sempiternae intercedunt causae,

quae

quæ nunquam cessabunt. Neq. enim par parem utquam nisi fortuna profligabit. Alterum igitur horum necesse erit, vel fortunam Dijs etiam dominari, vel perpetuas esse inter Deos discordias, & contentiones: quorum neutrum Deo conuenisse vlllo pacto potest esse igitur Deus vnus, sempiternus, potentissimus, optimus, felicissimus. Quorū nihil esse potest cum animi perturbatione. Sunt ergo fabulæ, quæ de Dijs à veteribus narrantur. Sunt somnia. Sunt deliramenta. Vnus enim Deus probatus est vel ipsorum ethnicorum testimonio. Iam vero sequitur vt demonstrẽ Deum omni corpore ac magnitudine solutum esse & liberū. quod in proxima disputatione pro viribus expedire conabor.

*Deum esse corporis expertem.*

DISPUTATIO III.



Nihil est tam altum tamq. sublime, quod diuine naturæ non omnes gentes etiam feritate barbaræ tribuendum esse iudicarint. Hinc ille veterum descriptiones, Deum esse circulum, cuius centrum nullibi, circumferentia vbiq. esse animal optimum & sempiternum: esse vim quandam intelligentem, cuius nutu effecta sint omnia, & sustineantur & conseruentur esse infinitam quãdam naturam nullis limitibus circumscriptam. Quamobrem nõ est cur gradus spiritus etiam denegeretur. Hanc enim notionem ex natura arripuimus, hausimus, expressimus, vt ea quæ perfectissima sunt, & nobilissima consentanea iudicemus Deo optimo. Illa vero ab eo reijciamus quæ imperfectiora esse videantur. Propterea afferenda sunt argumenta, quibus lumine naturæ demonstratur Deum esse omni corporis expertem.

Prima ergo ratiocinatio nostra ex independentia primæ causæ desumpta est. Nihil enim est prius ente simpliciter primo,

DISPUTATIO III.

15

mo; sed omni natura corporea est aliquid naturaliter & simpliciter prius, igitur nullum ens corporeum est simpliciter primum. At Deus est ens simpliciter primum, aut si quod est illud erit incorporeum. Probatum assumptio bifariam. Primo, quia omne ens corporeum & concretum constat ex partibus quae sunt naturaliter priores toto saltim natura. Quae vel Deus, essent, vel non. Si essent. Igitur segregatae a diuina natura Deum constituere possent. Igitur Deus Deum componeret. Si nihil haberent diuinitatis in se, qui ergo Deum constituerent? secundo necesse est ut antegrediatum causa aliqua quae illas partes vicissim copulet. Nam partes diuulsae ac seiunctae a toto neque perfectae omnino sunt, neque se ipsis in unum conuenire possunt. Opus ergo est efficiente aliqua ui, quae eas in natura una astringat. Quod si essent in se ipsis omnino expletae omnem certe refigerent copulationem. Nulla enim fit coagmentatio ex ijs quae omnino absoluta sunt. Necesse est ergo naturam illam diuinam ex diminutis & imperfectis partibus componi. Deinde quaeremus, an illae partes, quae adhiberentur ad Deum constituendum essent definitae an infinitae. Si definitae quomodo ex ijs conficeretur natura infinita: si infinitae ergo coagmentatio aliqua existeret ex infinitis quod natura abhorret.

Secunda ratiocinatio, ens primum & simpliciter nec productum est, nec pendet ab alio quod sit ipsius causa. At omne ens corporeum & extensum causam habet sui esse, pendetque non solum ab una, sed pluribus causis, ijsque se prioribus. Igitur primum ens, Deus optimus corporis est expers. Quod vero Deus a nulla causa pendeat patet: quia illa causa a qua penderet Deus ipse esset: causae enim vel sunt extrinsecae, vel intrinsecae. Deus non conflatur ex extrinsecis causis ut efficiente & finali. Haec enim causae Deus essent. Unde Deus a Deo penderet. Quo quid stultius? quid inepte magis dici potest? Non intrinsecis ut materia & forma, quia haec vel essent a Deo ipso & sic ab illis Deus non penderet, neque iisdem constitueretur: vel essent a se, sicque partes priores Deo Dei naturam subirent ante ipsum Deum. Itaque Deus prior Deo diceretur. Quod absurdum deduximus

duximus alias. At cum causa sit effectus gratia, pars esset toto imperfectior. Ergo Deus se ipso esset imperfectior; cum tamē in Deo omnis plenitudo perfectionum concludatur. Sed esto hoc corpus. certe diuidi posset in duplicem partem, quarum quęcumq. esset substantialiter & totaliter distincta ab alia & situ & loco. Vnde sequerentur Dij infiniti essentialiter ac totaliter interuallo & situ distincti, quorum quocumq. dato concedere necesse esset imperfectiorē, quā vnus esset gratia alterius. Ex quo etiam fiet nullū fore gradum entis ita perfectū, quin esset alius perfectior, & nullum ita imperfectū, quin esset imperfectior, non secus ac quantum habet progressum in diuisione in infinitum. Confirmatur ratiocinatio. Vel Deus esset corpus eiusdem, vel diuersę naturę. Non eiusdem ne detur infinitas quędam ineptissimorum Deorum. Si vero defendas alteram partem: Deum esse corpus diuersę naturę. Quid ita? Dabis ergo in Deo partem aliquam nobiliores altera? Dabis partes in Deo alterius rationis? si partem aliquam nobilitate præstantem dederis, cur non Deum voces? Deus igitur erit pars? sed obsecro illa pars nobilissima erit ne substantia inextensa, aut extensa. Si inextensa atq. indiuidua habeo intentum. Si vero extensa ac diuidua vel componitur partibus eiusdem rationis, quod est confutatum, vel diuersę rationis; & sic Deus cōtineret actu infinitas quidditates specie distinctas, imō naturas infinitas inter se dissidentes. Quę absurda vt euentur, concludemus Deum ab omni concretionē alienum ac simplicissimum esse.

Tertia ratiocinatio. Nihil quod est in potentia ad aliquā perfectionem est primum ens; sed omne ens corporeum est in potentia ad aliquam perfectionem. Igitur nullum corporeum erit primum ens. Assumptio clara est per se. Nam omne corpus est mobile. Igitur potest motum aliquem exercere. Tum omne corpus natum est affici variis accidentibus, & quātitas augeri potest perpetuo, & eius partes, si naturam spectemus vniuersam, nullum est impedimentum, quin multiplices formas possint suscipere, cū corpus omne per se sit mutabile  
aliquo



aliquo accidentium genere: Necessarium itaq; est Deum corporea mole denudare, ne illi has imperfectiones affingamus, qui fons est omnium bonorum. Video quid dicere posset philosophus. Exclamaret quid impedit primum ens esse compositum? Nulla enim est eiusmodi imperfectio. At peto cuius naturæ ipsius partes essent, quæue subirent rationē actus quæue potentia? Verum de hoc argumēto vberius Alcinous instit. suæ in doctrinā Platonis cap. ix. Ficinus libro primo de Theologia Platonica capite sexto, & Io. Franciscus Picus Mirandulanus in epistola ad Zenobium Accaiolum: Sed diceret alius rationem corporis perfectionem includere, non igitur Deo denegandam. Nunquid ergo spiritus perfectio est? Non igitur Deo deneganda. obijceret alius esse diuersam rationem corporis, diuersam rationem quantitatis, distinctamq; ab his humanis. Scilicet aliam sibi rerum naturam effingere potest, vt lubet; nulla tamen ideo in rebus mutatio exister. Et certe video iactari posse multa plena audaciæ; sed stabit diuina illa simplicitas, immota & sempiterna quibuslibet inconcussa & inexpugnata conatibus.

At philosophus aliquis, qui sacra volumina religionis nostræ euoluerit arguet nos inconstantia, qui Deum demonstramus lumine naturæ incorporeum, cum sæpe corporatus ponatur ac describatur a nostris Patribus; vt probant illa loca, in quibus legimus, oculos Dei in terram prospicientis, aures ad preces intentas: os domini locutum esse, olfecisse odorem suauitatis. & præterea quod brachij, manuum, pedum, atq; digiti Dei mentionem fieri in sacra scriptura eruditi obseruauerint. Quare verendum est, ne etiam nos, vt Satyrus ille e cauernis suis eductus hominem ruri versantem contradictionis accuset. Placet ludicra hæc seriis admiscuisse. Olim maximam Satyrus urbani hominis familiaritatem sibi conciliarat. Sciente igitur hyeme homo frigoris impatiens gelidas crebro ad os suū manus admouebat calidum agens anhelitum. Satyrus causam quæsiuit, cui ille frigiditas inquit sic manus calfacio. verum vtroq; cæcitate, vt sæpe fiebat; cū iusculū feruentius fuisset allatū

C

homo

homo offe, quam sibi desumpserat, afflabat. Ille rursus causā  
 percontatur. Si e feruens tepelcit, ac refrigeratur iusculū, in-  
 quit Quibus auditis Satyrus ira accensus. Nulla mihi aut te-  
 cum in posterum futura est consuetudo. Nulla amicitia fi-  
 des, qui mihi vno eodemq. ore calidum & frigidum efflas.  
 Nollem igitur rudis aliquis philosophus pugna verborum de-  
 teritus assensionem de diuinæ naturæ simplicitate temere re-  
 uocaret Tollenda est ex huius animo omnis contradictio.  
 Quod facile fiet, modo ille audire velit, nec ut petulcum ani-  
 mal diffugiat & veluti agrestis ac barbarus abdat se in antra  
 sua tenebris obsita hac luce iucundissima veritatis neglecta.  
 Variarum igitur Dei per multiplices visiones figurarum  
 diuersitate alia quædam ijs, quæ videntur præter id quod appa-  
 ret significari putare debemus. Vt enim si animum corporeū  
 fingere vellemus, partes corpori proportionem respondentes  
 in eo intelligeremus; ut caput quidem mentem, opinionem  
 ceruicem, pectus iram, ventrem cupiditatem, crura & pedes  
 naturam, & sic partium nominibus pro facultatum signis ute-  
 remur; certe multo magis in eo, qui omnia superat, formarū  
 figurarumq. similitudo sanctis Deoq. dignis interpretationi-  
 bus a nobis explicanda est. Quod si uis tres corporis figuras  
 Deo, qui nec tractari, nec figurari potest attribueret: latitudo,  
 quidem diuina dicenda est, immensa Dei ad omnia perfectio;  
 longitudo vis quæ ad omnia pertinet: profundum vero obseu-  
 ritas eius quæ comprehendi non potest. Sed planius hæc ipsa  
 explicemus omisis altissimis. D. Dionysij mysterijs. Quo-  
 tiescunq. Deo membrum aliquod tribuitur intelligas uim,  
 quæ in eo membro maxime fuerit. Cum igitur audis in diui-  
 na natura caput, interpretare essentiam diuinam à qua omnia  
 ut a capite oriuntur. Cum audis oculos intellige nihil eum  
 latere posse. Omnia enim aperta sunt oculis eius. Cum aures  
 audis. Scito nihil esse quod ille non intelligat. De quorum om-  
 nium mystica significatione extat liber beati Anselmi de mē-  
 bris Deo attributis eruditissimus.

Decet igitur secretissima Dei mysteria altissimis sensibus ve-  
 nerari.

AN DISPUTATIO III.

nerari. Vere enim est spiritus grandis & fortis, subaertens montes, & conterens petras. Vere est Deus absconditus, & lucem habitans inaccessibilem, quam nullus oculus ferre possit; vt Elias operuerit vultum suum palio, quod videret tantum diuinam maiestatis splendorem humanam mentem ferre non posse. Decet nos de Deo quicquid magnum est quidq. praelatum cogitare. Decet, quoniam gradus spiritus est perfectio, libenter concedere diuinam naturam; & si quid aliud est quod omnem cogitationem superat. Veneratione contenti simus tanti numinis, cum scriptum sit scrutator maiestatis opprimetur a gloria. Id ipsum monent & hortantur antiqui Patres, qui etiam in hac controuersia non destiterunt ubertate maxima diuinam simplicitatem predicare. Ac Tertullianus quidem libro secundo contra Marcionem capite xij. dum Deum dixit esse corpus intellexit substantiam quandam solidam, & independentem, vt vere eius excusatio accipienda sit ab Augustino allata. Præterea Damascenus libro primo de fide orthodoxa cap. xij. ait impium esse putare Deum esse corporeum & capite xiv. eiusdem libri infinita pene loca explicat scripturam factam, in quibus metaphorice tribuuntur Deo humani corporis partes. Et Rabi Mosseus in libro primo dubitat, suarum cap. xlvi. plane eruditissime & fusissime, vt etiam Origenes libro primo de principijs cap. primo & libro vi. contra Celsum vbi declarat exemplo: licet enim dicamus virtutes aurum esse aut lapidem preciosum non propterea eas corporeas dicimus. Si igitur lumine naturam demonstrauius Deum esse expertem corporis, & nullum contradictionis locum esse in sacris literis, nihil est cur nobis non assentiatur philosophus. Verum quoniam videtur non dissentire ab existentia, vnitatem, & diuinam simplicitatem, videamus quid dicturus sit de infinitate, quam in futura disputatione volumus persuadere.

...  
 ...  
 ...  
 ... **C** 2 ... **D** eum ...  
 ...

DE NATURA DIVINA

*Deum esse infinitum.*

DISPUTATIO IIII.



Mnes pene qui de natura philosophati sunt temporibus illis, quibus non dum diuinus humanis mentibus illuxerat splendor, & principium primum & infinitum posuerunt. Non enim poterant intelligere ut ex eo innumerabiles naturae deducerentur, si ipsum aut limitatum, aut quibusdam veluti extremitatibus conclusum esset ac difinitum. Parmenides igitur mentem quam solutam ac liberam ab omni concretionem, eandemque infinitam credidit. Quod nos probare statuimus naturae lumine perspectum esse ac cognitum.

Erit ergo prima ratio eiusmodi. Si Deus habet virtutem finitam vel eam ipse sibi, vel alius definiuit Sed nihil se ipsum producit, quia definitio est modus quidam consequens naturam productam Ergo neq. definit. Definire enim & determinare praesupponit naturam esse ac virtutem. De qua etiam quaeremus an sit finita, vel infinita. Si infinita, nulla controuersia. Si definita eodem reuoluemur, & quaeremus unde fuerit definitio illa & determinatio. Quis Deum definierit, aut alligari, cum sit primum ens, primus in possessione & a nullo dependeat. Dices fortasse intrinsece definiri ratione principiorum essentialium Nam ab agente extrinseco definiri nequit. Sed nec isto modo Deus definiri potest. Nullus enim actus definitur nisi vel propter agens, vel recipiens. Ut si sit perfecte diaphanum & lumen satis debile, erit imperfecta illuminatio ex defectu agentis: contra vero si lumen sit intentissimum, & diaphanum ineptum ex subiecto fiet, ut non sequatur perfecta illuminatio. Sed Deus optimus est actus a nulla causa agente definitus, neq. aliquo recipiente cum sit inreceptus. Ergo est infinitus. Dices definitum esse ex se in certo gradu perfectionis.

Vidco

DISPUTATIO IIII.

21

Video id solum tibi relictum esse asylum. Verum istud etiam evertetur. Quicquid enim conuenit alicui a se absolute, & infinite conuenit; sed actui, qui non habet ullam causam agentem aut recipientem conuenit esse ex se absolute. Igitur conuenit ei esse modo illi itato & infinito.

Secunda ratio est ex causa effectrice hunc in modum. Illud agens est infinitum virtute & vigore quod actu & simul habet in sua vi effectrice, & ex se independenter effectus infinitos. Sed prima causa est eiusmodi, igitur infinita est. Propositio probatur. Vt enim continere plures effectus concludit causam perfectiorem, ita continere infinitos concludit causam infinitam. Probatum iam assumptio: continet enim prima causa infinitos effectus producibiles virtute, vt si fieri posset simul produceret. Quod non arguit nisi nature infinitatem. Non enim diuina virtus perficitur effectuum multitudine, neq. deficit in cursu productorum.

Tertia ratio erit ex humano appetitu deducta. Numquam enim quiescit humanus animus nisi in summo bono, & omnibus numeris ac partibus absolutissimo. Nec vero frustra est humanus appetitus. Igitur concedendum est bonum infinitum quod non est nisi Deus. Legimus autem apud Aristotelem primo politicorum capite sexto. Diuitias ab auaro appeti in infinitum. Iam vero quocumq. dato mens humana semper maius aut apprehendere, aut appetere potest. Obijcies hunc appetitum non esse rationi conformem. At quomodo natura humana vniuersa falli potest in appetitione summi boni, atq. vltimi finis? sed relicta humana appetitione, peto de Deo Quiescit ne ille in sui cognitione finita an infinita? Non finita: quia posset simile in intelligentia perfectissima producere. Quod absurdum est; imo posset quelibet beata mens maius quiddam desiderare quam esset Deus si finitus sit. Et certe hic rerum ac naturarum ordo postulat vt diuinae mentes & intelligentia & cognitione vincant ea que sensum & rationem habent, & id quod pulcherrimum est expetant, quod Deo propinquiores & abundantius eo participent; pluraq. ac maiora ab eo munera acceperint

Que.



Quemadmodum etiam ea, quæ ratione videntur, ijs quæ sensu habent, antecellunt: quod ratione illa vincant, hæc sensu & alia vira. estq. mea sententia verum, quæ vno, infinitisq. muneribus prædita Deo magis participant, ei viciniora esse, atq. diuiniora ijs, quæ his rebus superantur. Quia igitur ita est, age ipsū bonum ut vere est, quod omnium causa est, nec verbis exprimi potest, & vniuersæ essentiæ auctor, effectorq. eius quod est, eius quod cohæret, naturæ ipsius principium ac mensura æternitatis, ac temporum, & vt ita dicam entitas & æternitas eorū, quæ sunt. tempus eorum quæ fiunt, tempus eorū, quæ quomodocūq. sunt, ortus eorum, quæ quomodocūq. oriuntur, veneremur & laudibus celebremus. Deus enim non quodammodo est; sed absolute & libere sine vllō termino, vniuerso illo quod est esse in se comprehenso & occupato. Itaq. Rex saculorum dicitur, quod in eo & circa eum hoc totum esse & fit & constat. Est enim sæculum saculorum, quod sæcula antecedit. Verum hæc altissime contemplanti D. Dionysio relinquamus, nosq. redeamus ad nostrum institutum, probemusq. hanc ipsam infinitatem quæ omnia sæcula amplexa est.

Quarta ratio. Ad effectum aliquem producendum tanta requiritur in efficiente potestas causæ, quantus est recessus & distantia rei, quæ non est; sed est futura a sua natura & essetia. Inter nihilum autem & quamcumq. rem quamuis perexiguā infinita interest intercapedo non quidem loci aut temporis; sed essentiæ ac naturæ. Nulla enim comparatio, nulla ratio inter hæc consistere potest. At in quibus nulla inest ullius generis proportio, inter hæc est infinitum interuallum vt clarissime patet disserenti. Si igitur mundus de nihilo à Deo effectus est, infinitam vim adhibuit ad illum construendum. Adhibere autem non poterat, nisi illam habuisset. Sed non me fugit aliquos. improbāre distantiam illam inter esse & non esse omnino esse infinitam. Agam igitur ut illi agerēt ipsi si adessent. Res & nihil duæ sunt extremitates sine medio, aliquo quod illas conectat, quarum altera vt res superat quidē nihilum; sed definite. Determinatę enim sunt res productę,  
Igitur

Igitur abscessus ille non erit infinitus vt inter lucem & tenebras non est infinita intercapedo, nec inter verum & falsum.

Sed simulate potius loqui videris quicumq. sic respondeas quam ex animo. Non id est in officina illa tua subtilitatum plenissima penitus elaboratum. Etenim non solum distantia idcirco est infinita, quia media sit aliqua intercapedo immensa, quæ infinite arceat ambas extremitates; sed etiam quia, aut vtraq. extremitas in suo genere est infinita, aut saltem altera. Vtraq. vt Deus & nihil. Ille enim innumeras coerces rerum perfectiones; hoc autem infinitas negationes perfectionum est complexum. Cum igitur duæ sint extremitates, quarum altera est definita nimirum res, infinita altera, nempe nihil. Ex infinita extremitate colligenda erat distantia, non ex definita. Cum autem nihil quacumq. re determinata infinite minus sit, interuallum ab eo sumendum erat, non à re procreata. Quæ vero inducebas de luce & tenebris, de vero & falso captiosa sunt, & commentitia. Non enim inter has tenebras, quæ nunc ex opacitate oriuntur, & lucem immensum interest interuallum, quoniam adest aer, qui aptus est ad lumen suscipiendum; sed inter illas quæ ante mundi generationem a nobis excogitantur. Has nullus cæletus nisi summus Deus illuminare poterat. Eadem quoq. comparisonem efficere debebas inter verum & falsum nullo existente mundo. Agnouisses profecto ad eam commutationem faciendam definitam vim non fuisse satis. At postquam mundus effectus est, extiteruntque res, facilis est illa commutatio, quoniam intercapedo est determinata. Ex his efficitur creationem grauissimum validissimumque argumentum esse ad testandam Dei infinitatem: vt etiã egregie id ipsum persequutus scribebat Bissario libro tertio contra Trapezuntium capite secundo.

Huc alij reuocent vias illas D. Dionysij ex eminentia, ex negatione, ex perfectione, ex causis tunc effectrici tunc finali deductas, quarum nos etiã aliquas vtrumque attigimus. Huc reuocent consentium communem veterum, qui primo principia infinitatem popularunt vt copiose & doctissime tradit Eugubinus ille Steuchus

chus in libro tertio de perenni philosophia capite octauo. Et  
 Auicenna in tractatu octauo saxe Metaphisices capite quarto  
 & quinto. Ex quibus locis vt voluptatem maximam coepi, sic  
 alios si legerint delectationem non exiguam percepturos ar-  
 bitror. Legant etiam Franciscum Picum in libro vi. de vanita-  
 te doctriņę cap. xvij. quo loco de diuina infinitate cum Peri-  
 pateticis loquitur, & citat. Io. Picum in libro de vno & ente,  
 qui subtilissimis quibusdam gradibus vsus fuerat ad Dei infi-  
 nitatem probandam. Videant etiam quam præclara scriptis re-  
 liquerint antiquissimi Græciæ doctores. Damascenus libro  
 primo de fide orthodoxa cap. viii. qui ait Deū esse vnum prin-  
 cipium sine principio, increatum, ingenitum, infinitum, in cir-  
 cumscriptum, interminatum. Et D. Dionysius Areopagita in  
 eo libello aureo de diuinis nominibus cap. ix. Deus inquit  
 magnitudo est infinita & sine quantitate: & capite xii. docet  
 Deum infinita nomina habere. Sileo ceteros, qui in hanc sen-  
 tentiam deuenerunt, & ratione naturali & fide adducti. Quo-  
 niam tamen videor aduertisse quosdam vel hoc nomen ipsum  
 creationis perhorrescere, qua maxime ad calcem disputatio-  
 nis ad infinitatem comprobendam nitebamur, faciamus quā-  
 tum in nobis est, vt neq. ab ipsa rerum creatione & fabricatio-  
 ne huius uniuersitatis, Philosophi assensum cohibeant.

*Deum huius uniuersitatis artificē esse  
 & architectum.*

DISPUTATIO V.



Theologi illi veteres Orpheus & Hesiodus,  
 qui carmine scripserunt de sacris nature my-  
 sterijs, cum materiam nocte atq. chao adum-  
 brassent, vt pote obscuram, nullisq. formis  
 ex se distinctam & ornatā, non penitus igno-  
 rante



IN DISPUTATIONE V.

rasse visi sunt Deū esse omnium artificē. Ac Orpheus quidem imprimis ante mundum conditum Iouem fuisse testatur in suis Argonauticis, in cuius pectore diuino atq. palatio vera mundi origo latitaret. Commemorat enim omnia quæ in vniuerso sunt quæue oculis spectantur, cæli videlicet præclaram sublimitatem ætheris vastitatem, immensi maris, tellurisq. latitudinem, Oceani magnitudinem, terræ depressa Tartara fluminaq. & omnia quæ orta sunt & orientur in ventre Iouis antea habitasse. Itaq. constat diuinitatem antiquissimo nomine Iouem appellatam Orphæi sententiâ mundi ortum anteceisisse. Quæ omnia e mundo illo archetypo format, & rationum aratio locupleusismo, quod in se habebat depromperit. Amorem præterea constituit creatorem omnium. Cuius doctrinam Hesiodus initio statim suę Theogoniæ imitatus tria facit mundi ortus principia chaos, terram & Amore, qui terræ & chaos incubans omnia ex illis eduxerit. Anaxagoras autem mentem statuit quę res producendas fecerneret & in lucem proferret. Ille vero præclare o Tati caue caue artificium prius artifice. At Plato pulcherrime de mundi causa effectricē disseruit in Timæo. Atq. eandem opinionem sequutum fuisse eius discipulum Aristotelem Fernelius libro secundo de abditis rerum causis, Eugubinus libro sexto de pereani philosophia. Elias Cretenfis in quæstione sua hac de re & Iulius Scaliger in exercitationibus contra Cardanum ex aliorum etiam sensu crediderunt. Ego vero non contendo de veteram opinione. Satis mihi sit ostendere lumen quoddam illuxisse veteribus philosophis de vniuersi fabricatione, licet non plane purum, quod sibi nonnulli turpissime contradicant cum de possibili negent de facto concedant rerum creationem. Dicunt enim Deum produxisse intelligentias cælum ipsum ab omni æternitate quod vel fuit per creationem in quo sibi contradicerent vel per simplicem nescio quam emanationem, quæ nomine quidem discrepat, re vera tamen est ipsa creatio. Itaq. nequeunt subterfugere creationem. Quod ego hunc in modum demonstro. Deus ab omni æternitate produxit im-

170179

D mortalia

mortalia per te ò philosophæ; sed in productione necesse est Deum prout causam præcessisse vel saltem ordine naturæ. Igitur Deus in illo priori fuit causa effectrix. Peto enim in illo priori quomodo se habebant ea, quæ deinde producta sunt; certe nihil erant in se. Igitur post producuntur diuina ui. Ex aliquo ne, an ex eo quod nihil erant? Non ex aliquo, quia esset processus in infinitum. Per am. n. de quolibet ex quo fit, donec in angustias reductus fatearis ex eo quod nihil erant extitisse. Ipsa enim informis materia vnde esset, nisi ex nihilo? ut demonstrat Eusebius Cæsariensis in libro vij. de præparatione euangelica cap. viij. & quidem septem argumentis. Igitur cum cæli, intelligentiæ, cæteraq; essent nihil in se, deducta sunt de non esse ad esse per creationem: sed dices Deum non præcessisse ordine naturæ. At Aristoteles libro quinto Metaphisices capite de priori ait illud esse prius secundum naturam & substantiam, quod potest esse sine alio, & aliud non sine ipso. Deus vero is est qui esse potest absq; rebus creatis omnibus; cum tamen creata omnia penitus ab illo dependant. Verum audio hic quendam ex suorum castris acerrime respondentem fuisse quidem ordinem naturæ inter Deum & intelligentias ab æterno productas ex sententia Philosophorum; id tamen non esse ex eo quod præcesserit non esse ipsam esse; sed quod posterius a priori dependeat vt radij à sole ordine solum prioris ac posterioris. Ego vero contra sic argumentor. Extrema originis naturæ sunt esse & non esse, non solum prius ac posterius, aut dependens & independens. Ergo illa inter quæ estordo naturæ ita sunt affecta ut non solum posterius dependeat a priori; sed posterius in eo priori non sit vere, neq; existat; cū tamen prius secundum substantiam vere sit, & existat per se. Igitur Deus in eo priori est causa effectrix. Confirmatur argumentum. In eo priori quo Deus antegreditur omnia alia quæ cumq; deinde extiterunt præerant in Deo, ut in prima causa. Ergo nihil erant in se in vlllo genere causæ, ne dicamus simul fuisse & non fuisse; cum contradicat, & de conceptu creaturæ sit, vt non possit sine dependentia intelligi. Ergo in illo etiam  

priori

DISPUTATIO V. 27

priori, quo ab aeterno, vt uolunt aduersarij, Deus produxit mundum in aliquo momento quodcumq. illud sit, res creatæ erāt nihil in se. Vnde fit vt philosophi creationi contradicentes non tam ueritati quam sibi met ipsis contradicant.

Secundum argumentum. Non datur agens interiectum inter primum effectum & Deum; igitur primus effectus totus est à Deo ipso. Si enim inter Deum & primum effectum esset aliquis alius effectus magis immediatus in infinitum delaberetur. Igitur ueniendum est ad vnum primum notum talem ipsi rerum effectori Deo, non secus ac ad vnum primum effectorem deuenimus. Huius ego effectus naturam nosse discipulo Expectabo vt exponant. Si dixerint effectum & effectorem ita consistere vt possint non esse igitur Deus non erit ens necessarium. Quomodo ergo omnia, quæ in hoc naturæ ambitu continentur in lucem prodeunt, vigent, renascuntur in perpetua, speciei conseruatione, si nulla causa effectrix & prima est necessaria? Si affirmant & Deum & mundum necessaria quadam ui contineri sciscitabor ab illis; cui nam ex his hæc necessitas erit accepta referenda; & quomodo differat mundus à Deo. An sint formæ eadem, an in genere conueniant. Si conueniant, quid impedit multiplicari in infinitum mundos Deosq? Si vero genus sit commune, erit illud certe analogum. Igitur vnum primum erit efficiens a quo omnia ducantur: Vnus omnium auctor, qui in se principia, conclusiones, atque fines eorum contineat, idem omnia superet, omnibusq. statum integre ac incorrupte elargiatur. Si enim sol hic quem uideamus eorum quæ sub sensum cadunt essentias & qualitates quæquam multæ sunt ac dissimiles, ipse qui vnus est æquabiliter lumine suo renouat, alit, tuetur, perficit, diuidit, coniungit, soluet, auget, mutat, firmat, edit, vitaliaq. facit omnia: & quicquid est in hac vniuersitate pro captu suo vnus atq. eiusdem solis est particeps, ipseq. causas multorum, quæ ipso participant in se æquabiliter anticipatas habet; multo magis in eo, qui est omnium causa prius constituisse omnium rerum exemplar concedendum est. Exemplaria autem sunt rerum effectrices ratio-

D 2 nes,

## DE NATURA DIVINA

28  
 nes, quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt. Quæ igitur sunt  
 ei vna atque ea secreta ab humanis rebus coniunctione tri-  
 buenda sunt. Ille in se ante habet vnus omnia eaq. singu-  
 lari simplicitate. Ille omnem vt ita dicam duplicitatem  
 renouat; omnia continet sua infinitate, quæ longe lateq.  
 pertinet, & cum omnibus vna existens communicatur: que-  
 madmodum etiam vna & eadem vox a multis auribus vt vna  
 percipitur vt præclare philosophabatur Dionysius in libro de  
 diuinis nominibus capite v. Id ipsum confirmauit Patrum  
 consensus, qui & sanctissimi & sapientissimi fuerunt, Vt cle-  
 mens in oratione adhortatoria ad gentes. Tertullianus libro  
 primo contra Marcionem capite xi. Origenes libro quarto cõ-  
 tra Celsum & alij innumeri. Sed quoniã ad alia properamus,  
 omitimus aliorum memoriam, & a creatione ad rerum con-  
 seruationem descendimus, quoniam habet hæc cum illa con-  
 nexionem plane ita necessariam vt facillimus ad eius persua-  
 sionem aditus patefactus fuisse videatur.

### *Rerum omnium conseruationem à Deo existere.*

#### DISPUTATIO VI.



Vce clarius patet vim quandam ab ætherea, ac  
 sempiterna natura effluere, fundique in vniuer-  
 sa, quæ sub Luna sunt mutationi semper ob-  
 noxia, vt prima elementa, ignem & aerem, &  
 inferiora terram & aquam, & quicquid ex illis  
 nascitur aut animantium, aut stirpiũ. Nam sol  
 non modo per mutatione sua statis anni temporibus, quibus  
 vitam animantibus, & fructus stirpibus elargitur; verum etiã  
 quotidiano ambitu calfaciens & humectans arefaciens & re-  
 frigerans constanti ordine naturam vniuersam tuetur. Luna ve-  
 ro vt proxima terris, sic maxime in eas influit, vt cum ea con-  
 sentiant

DISPUTATIO VI: 29

sentiant & commutentur pleraq. tum inanima, tum animata  
 & ipsi fluij vna cum eius lumine nunc augetur nunc decre-  
 scant ac maria impetu diuerso, prout illa oritur & occidit se-  
 rantur. Deniq. stirpes & animantes aut omnino, aut aliqua ex  
 parte vna cum luna incrementa & decrementsa sentiunt. Sed  
 stellarum tum inerrantium tum errantium decursus congressus  
 & inter se configurationes nemo est qui non suspicetur rerum  
 variarum ac plurimarum causas existere, vt plane omnes intel-  
 ligant mundi inferioris vim ac facultatem a superioris latioribus  
 regi, rerumq. omnium ortus incrementa, perfectiones & decli-  
 nationes ad illas motrices causas referri: consentire enim ratio-  
 ni videbatur vt ea quorum debilis motio est, cuiusmodi sunt  
 omnia quæ mundo hoc inferiori concluduntur a potentiori  
 ui regerentur. Hac actione, & conseruatione vniuersæ naturæ,  
 quam nullus negare possit manu ducti philosophi uiam nobis  
 fecisse videntur ad quædam alia secretiora, vt nos vim quan-  
 dā esse ratiocinemur fusam in omnibus corporibus, quæ nō  
 motu & lumine solum vt instrumentis reget vniuersa; sed  
 occultiori quadam vi solem, lunam, sidera, & cælum terrasq.  
 sustineret. Hanc quidem subodorari visi sunt veteres cum ani-  
 mam mundi posuerunt, quæ tam apte vndique tenderet, vt in  
 vniuerso tota esset, & in singulis suis partibus integra conser-  
 uaretur. In qua quidem colligatione diuinum hoc numen nec  
 alas fregerit nec prolapsus sit; sed ita vbiq. vigeat cunctisq.  
 ita adsit corporibus; vt traducat tamen beatam ac felicissimā  
 vitam. Ipsa scilicet mens innumerabilibus & admirandis ple-  
 na virtutibus eas effundit in totum, vt motionum æqualitatē  
 cursum certum siderum, tam admirabilem rerum propagatio-  
 nem, tam incredibilem vniuersi ordinem efficiat, & conseruet.  
 Nec ego certe Platoniorum somnia sequor; sed illud conor  
 persuadere; quando illi hæc altissima cogitatione, & intelligē-  
 tia assequuti sunt, mihi etiā licere ita philosophari, vt lumi-  
 ne naturæ demonstrē rerum omnium diuinitus conseruatio-  
 nem & quasi continuationem quandam primæ illius actionis  
 qua Deus molitus est mundum, necessariam esse. Quamobrem  
 hoc

DE NATURA DIVINA

30  
 hoc aditu facto ex Platoniorum schola demonstrare conabor natura duce ita esse omnia procreata, itaq. distributa, divina vi, & prudentia plane admirabili ut nisi ipse perpetuo sustineret in nihilum redigi necesse esset.

Erit igitur prima ratio. Omne quod est ab alio effectum sibi derelictum est non ens, sed præter Deum omne quod est habet causam effectricem; igitur si sine dei conseruatione esset penitus deficeret. Nam si remota prima causa adhuc existeret, sequeretur ut non magis dependeret ab esse illius quam ab eius non esse, quia æque esset eius causa siue existeret, siue non existeret. Respondebit aliquis fortasse. Dependere solum hanc naturam à Deo in genere causæ finalis. Inde est quod remota causa finali effectus non concidit. At aperte probauimus pendere vniuersum a Deo in genere causæ effectricis. Præterea sint in rerum natura tantum. A. & B. sublato. A. remouetur. B. igitur aliqua causa est cur. B. non sit: quia omnis effectus habet aliquam causam. Sed causa cur. B. non sit, non est ipsummet. B. quia nulla res deducit se a non esse ad esse, neq. se ipsam corrupit. Ergo causa cur. B. non sit est remotio ipsius. A. solum enim. A. & B. ponebamus in vniuerso. Iam vero sic vrgeo. Non esse. A. est causa cur. B. non sit ergo esse. A. est causa cur. B. sit quia si negatio erit causa negationis, & affirmatio erit causa affirmationis.

Secundum argumentum. Si hæc natura vniuersa non indigeret prima causa conseruante, certe ab illa nequaquam per se penderet, sed id est falsum, quia nullum ens præter primum est simpliciter independens. Igitur omnia a Deo pendunt & conseruantur. Si enim B. effectus non conseruatur ab. A. suo particulari generante: ut mortuo patre viuit superstes filius, & ædificatore vita functo remanet ædificium, quomodo ergo existunt? certe non nisi per aliquam causam. At. A. perierat penitus. Igitur B. vel erit independens, vel erit aliqua prima causa à qua conseruabitur. Independens esse non potest. Quod enim est independens est necesse esse. At solus Deus est necesse esse. Igitur solus independens. Igitur quicquid est præter primam causam

DISPUTATIO VI. 37

causam pendet ab ea essentialiter, quæ nunquam deficit, non  
 secus ac lumen a sole lucidissimo, eodemq. semper præsentem  
 pendeat necesse est. Atq. huius rei causam nos in id reuimus.  
 Effectus enim, in quo forma agentis secundum esse perfectum,  
 quo est in agente excipi non potest, indiget continua conser-  
 uatione, continuoq. effluxu agentis. Hoc licet intueri in lumi-  
 ne. Nam quoniam lumen est propria qualitas corporis lumi-  
 nosi. Diaphanum vero luminis naturam non recipit, sed eius  
 participatione quadam fit capax, idcirco ut aer, seu quoduis  
 aliud diaphanum corpus lumine perfusum, continuû fomentû  
 adsit oportet, oportet, continuusq. effluxus a luce solis, seu al-  
 terius corporis lucidi, qui si vel paululum cessauerit, confestim  
 lumen diaphani intercidet. Idem comperies in imagine, quæ  
 in leui corpore apparens deperit abeunte illo, cuius erat ima-  
 go: Constat igitur omnem effectum, qui est ab aliqua causa par-  
 ticipatione, quadam, nec perfecte naturâ causæ assequi valet,  
 continuo fomento causæ suæ egere, quæ si defuerit eodem mo-  
 mento effectus pariter peribit. Omnia vero quæ habent esse a  
 primo ente participatione quadã nullo modo assequi possunt  
 perfecte ipsum esse; & propterea continuo quodam effluxu  
 atq. efficiencia egent, ut conseruentur. Quam in re adhuc efficien-  
 tia primi superat solis effectiõnem, qui ærem illustrat. Nã lu-  
 men quia actus diaphani est licet a sole pendeat, pendet etiam  
 a diaphano in quo est. At a primo ea, quæ sunt tantum pendēt  
 in esse a nullo præterea. Sed placet tamē exemplū solis ad ex-  
 plicationem nostræ disputationis. Eo enim nos facile traduci-  
 mur ad diuinam conseruationem. Ut enim sol non cogitatio-  
 ne aut voluntate; sed eo ipso quod est omnia illustrat quæ eius  
 lumen pro modo suo capere possunt. Sic etiam vis diuina per  
 omnia diffunditur, & ad omnia libere permeat, nulli appa-  
 rens singulari quodam modo secreta; latissime tamen omnes  
 prudentiæ suæ actiones opesq. spargēs. Deus enim est qui cla-  
 rissimum ac limpidissimū lumen suum intime magis quã sol  
 ipse communicat. Ac certe cum sol in crassiorem materiam  
 incidit, facit ut obscurior eius splendor, qui emanat appareat,  
 propterea

propterea quod materia illustrata minus apta sit ad luminis diffusionem sic etiam calor ignis magis se ipsum diffundit per ea, quæ eum magis capiunt, quæq; ad eius similitudinem ac speciem accedunt quam per ea, quæ vel nullum vel certe exile ac tenue quoddam eius naturæ vestigium habent. Virtus verò divina lausissime patet. Non enim solû quæ sub aspectû cadunt permeant, sed lucis suæ splendore quibusq; naturis suppeditat, ut primis exorta infima nõ deserat. Est enim omnî q̄ illustrat illuminandi principiu, lucis essentia, rerû stat<sup>o</sup>, & aspect<sup>o</sup> auctor.

Sed longius digressi asseramus tertiu argumentu quod summum in hac questione mihi videtur, quodq; convincere per tinaces solet. Sit igitur aliquod impedimentum a Deo ipso in natura, quo fiat ne aliqua res agat. Negabunt fortasse al. qui id Deum per se ipsu facere posse. At cur non possit is qui te ipso produxit? obstat igitur. Certe non nisi opem suam subtrahendo obstat. Nam si causa ad agendum apta & prompta sit, si omnia quæ requiruntur adsint, si quæ impediunt & obstant penitus remota sint quid impedit effectione nisi Dei recessus? Non enim rerum naturas infringit Deus, non eas immutat, nõ aliquid rebus eripit quod ad opus molendum necessarium sit; sed eo ipso quod cum natura rerum non concurrit eas a naturali cursu dicitur retardare. Ergo per accessum seu presentiam dicitur easdem conservare. Quod saltem in rebus corpore solutis ac liberis negari non potest, quæ neq; habent contrariu neq; per actionem aliquam possunt labefactari. Quod si qui sint qui id negent, negabunt etiam eundem esse effectorem, cû eadem infinita vis requiratur ad aliquid ex nihilo producendum, aut productum in nihilum redigendum: ut illo altissime cecinit. Avertente te faciem turbabuntur.

Verum ut ego quidẽ certe arbitror, fatebuntur, qui maiora quædam ad rerum conservationem necessaria veteres concessisse observauerint. Id enim significabat cathena illa aurea Iouis Homerici è summo celo demissa, & ad infimam usq; tellurem pertinens omnia quæcumq; oculis atq; animo cernuntur una vi atq; uno societatis vinculo constricti, & diuinæ conservatione



DISPUTATIO VII.

seruationis influxu, quendā admirabilē efficere inter se cōcētum. Ac ex Arabibus quidem legimus quendā affirmatse cæleste corpus nō solum indigere virtute motrice; sed etiā vi quadam, quæ, illi substantiæ ab omni interitu remotissimæ permanent ā largiretur æternam, quod corpus per se finitum licet a cælesti mente perpetuo moueretur; durare tamen non posset in omne tempus, nisi vis esset æterna, quæ illi conseruationem tribueret. In quo nō ego certe laudo eorum sensum, qui naturas ita fluere dicunt, vt eas pepetuo refici necesse sit, perinde ac lumē quod cū semper in aere labatur, semper opus sit noua productione: sed illos non possum non arguere, qui conseruationem quærunt in te incorruptibili, & in rebus interitui subiectis negant; quæ tamen semper fluunt, semperq. labuntur. Opus est igitur præserte vbiq. & præpotente Deo, qui cuncta moueat & conseruet, cum nulla alia ratione stare possit hic nexus, hæc pulcherrima series causarum. Et quidē æquum videbatur, vt qui rebus omnibus proprias ingenerasset propensiones, adhuc ita illas cohiberet, ne per se operari possent, nisi ipse met causis inferioribus hunc ad modū paratis atq. intentis tuæ voluntatis vi præsto fuisset. Si enim tantam potestatem rerum naturis tribuisset Deus qua instructæ per se sua opera absoluerent, visæ fuissent à nulla superiori causa depēdere. Itaq. non cessat, præsto rebus adest; nusquā tamen a se ipso egreditur. quin infinitudini suæ innixus veluti moli immansi stat omnia tranat, per abditißimas terrarum cauernas intulus cuncta agit. Quæ quidem omnia si diligenter fuissent a quibusdā animaduersa, maiori certe veneratione, atq. amore diuinum numē viderentur fuisse prosequuti; neq. Deo quā dare debuissent perfectionem detraxissent. Quod si forte resipiscant splendore aliquo illustrari, & fuis fugansq. tenebris Deum non modo effectorem; sed conseruatorem etiā venerabuntur, & veritati vt debent consentient, nec discedent a præclaris viris, qui conseruationē necessariam esse posuere vt D. Augustino libro iv. super Genesim capite secundo: & libro xvij. de Ciuit Dei cap. xxiv. & Anselmo in libro de casu diaboli capite primo & in Monologio cap. xij. Quibus in locis diuina rerum omnium conseruatio fuisime probatur. Ego vero exposita conseruatione statui prouidentia hunc librum concludere, qua non modo Deus eadē bo-

E nitate

nitate, qua omnia creauit, fouet, ac tuetur; sed ita disponit vt singula fines sibi inditos ac naturæ suæ consentaneos, consequatur.

*Deum rerum humanarum gubernationem gerere.*

## DISPUTATIO VII.

**H**ucusq. disputatum est cum gentibus, & probatum si non quantum res ipsa postulabat, quantum certe vires nostræ potuerunt diuinam quandam mentem existere in hac vniuersitate: eandem vnam esse explosa infinitate Deorum; tum experte corporis, atq. etiam infinitam. Præterea huius naturæ effectricem causã. Huic adiecit conseruare omnia. Restat nunc vt hanc partem concludamus, vt probemus eandem curam & prouidentiam habere rerum humanarum. Licet vero difficillimũ sit, de Deo aliquid cogitare non modo eloqui; difficultate tamen nos deterreri nequaquam oportet cum diuinæ naturæ cognitio ad inducendam pietatem plurimum valeat, natiq. finis ad Deum contelandum atq. imitandum. Et propterea omnes conatus adhibere debemus, vt eximiam diuinitatis speciem, quam in se ipsa adhuc intueri non conceditur, saltem in eminentia quadam, atq. vmbra veneremur; quam nulla in re cõsiderare & admirari melius possumus quam in suæ prouidentie operibus. Sed quoniam aliqui aut rerum ignoratione, aut animi impietate, adducti, rerum humanarum procurationem Deo eripere, atq. in eius locum fortunam & casum subrogarunt, aut etiam ad fatum & sidera administrationem mundi huius relegarunt locus postulat vt pro religione, pro aris & focis pugnemus, & prouidentiam, quæ se ipsam demonstrat, & prædicat in rebus omnibus, quoquo modo persuadeamus.

Statuere igitur imprimis oportet, cum prouidentia præcipua quædam pars prudentiæ sit, vt prudentiam, ita prouidentiam quadripartitam esse. Aliam quidem ethicã, cuius est proprios actus in suos fines dirigere. Aliam Oeconomicam, quæ in familiæ gubernatione sita est. Tertiam politicã quæ Rempub. regit. Quar-

tam

tam demum Monarchiam, quæ in vniuersi huius regni quod cæ-  
 lî sinu continetur, gubernatione versatur. Ex his illa quæ nobis  
 de Deo probanda est gubernatio, Monarchia vocatur, quæ ratio  
 immobilis & simplicissima cuncta ordinans atq. disponens in  
 fines naturæ cuiuslibet consentaneos maxima sapientia dirigit. Tã  
 ta enim est in rebus humanis infirmitas, vt nisi a diuina aliqua  
 ui, eademq. intelligente, perspicacissima, & potentissima conti-  
 neatur ab eo ordine, in quem suis quæq. inijs conuersæ sunt re-  
 silire necesse sit. Pleraq. præteritum ignara finium suorum, & sen-  
 sus & rationis expertia nisi intelligentia aliqua non errante ma-  
 nuducerentur breuissimo tempore ita perturbata esset & con-  
 fusa vt omnis rerum ordo peruerteretur. In corporum vero, quæ  
 oriuntur, & intereunt, fabrica, determinata descriptio, proportio,  
 & colorum distinctio, quæ admirabili artificio in singulis parti-  
 bus retinentur, nõ nisi prouidentia cura existunt. Homine enim  
 generat homo tam præstanti forma, equus equum & animantia  
 quæq. generata ex sui similibus procreatur. Quid vero dicemus  
 de ijs animalium formis, quæ ex limo, aut re putri læpenumero  
 exprimuntur? Ad casum enim referre minime conuenit, cum in  
 rerum natura certum ordinem habeant, certis anni temporibus  
 orientur eadem specie ac figura, qua ex similibus orta parētibus  
 extitissent, in casu vero omnia sunt incerta atq. inordinata. Quo  
 fit vt sine vlla dubitatione non sine prouidentia eorum existat  
 generatio. Solis enim & aliorum siderum calor qui dicitur eius  
 generis animantium molitor esse, ac procreator, quod similitu-  
 dinem continere videatur rerum omnium quas producit non si-  
 ne diuinæ prouidentia opera formare posset tã distinctas partes,  
 & tam minutas. Vis quædam excellentissima, ac diuina iudicada  
 est prima illa, quæ vitam rebus & iucundissimam spiritus vsurã  
 mirifice largiatur eademq. rationis ac intelligentia particeps, cū  
 artificiose ingrediatur, & certam sibi metam proponat, ad quam  
 vitalem illū suum cursum dirigat, quem persequatur vsq. eo dū  
 optatissimum animationis præmium capestat. Vtitur autem fa-  
 cultas hæc diuina ministerio caloris ad spirantia simulachra ef-  
 fingenda. Quod si quis in naturam penitus ignaram tam admi-  
 rabile artificium referat, secum vehemēter pugnabit. Calor enim  
 ille salutaris ac fœcundus qui à cunctis sideribus manat, terras

ac maria omnia irrorat, seq. per ingentia illa corpora infundens, ac penitus insinuans gignit, ac fundit foetus, neq. id prestare, neq. tam certis intervallis potuisset unquam. Neq. est aliquis tam impius, aut rudis qui siderum motiones ipsas ac dissimiles conversiones non suos indices ac moderatores habere credat, qui & ipsi subiciantur libenter imperio patris sempiterni. Ut enim in arte sic in natura philosophamur. Illa naturæ est imitatrix & æmula. Illa intelligentem vim requirit, & qualem domus speciè animo conceperit architectus talem molitur: ita in natura multo magis, ut res in lucem edantur mens quædam necessaria est, quæ provida vim a thibeat, finesq. præscribat certos ad quos res dirigantur:

Verù placet more Maiorù ecclesiæ nræ, & veterù etiam philolorù exempla quædã rerum mirabiliù adducere, quæ nõ ad ipsam naturã; sed ad intelligerẽ vim ac providã huius vniuersitatis referri debent. Atq. ut multa silentio prætereantur. In Aranea aliquis contèplatus artificium, retia, insidias, locorù opportunitates, in centro cõsistentiam, ut ipsa qualibet ex parte motù præsentire possit, admirabitur, nisi stipes sit, diuinam providentiã. Grues ut scribit Antigonus in sua mirabilium narrationù congerie cù in altum euolant, si nubes aut tẽpestatem præsenferint, imminet & quiescunt. Intera dux erecto capite prospicit, ut si quid obseruarit inimicũ clamore alijs significet, quæ partim subter alas capite abdito dormiunt, partim vigiles curium intendunt. Polypus vero habet continuũ quoddam mēbranz instar, quo vento flãte pro velis vitur demissis flagellis, quæ clauis vsum exhibeant. Mira de apibus, de formicis, de Delphino, deq. cæteris animantibus, tũ in mari, tũ in terris degētibus narrant scriptores, in quibus diuinæ providentiæ vires ostenduntur. Nec enim in casum eiusmodi referri possunt, ut nec barbarus quidẽ crederet nauim instructissimam, quæ tempestate ageretur, aut sine vectoribus ad lictus appelleret Governatore caruisse. Quid ergo dicemus de ijs quæ in natura admiranda spectantur, ac cõsuetudine vilescunt? Præclara habet Gregorius Nilenus in libro de providentiã, Lactantius Firmianus libro primo de falsa religione capite secundo. Theodoritus in decem sermonibus de eadem. Chrysostrmus in duobus de providentiã opusculis. Augustinus in libris de genesi ad litterã. Et patres in opere sex dierũ nullum finem faciunt

DISPUTATIO VII: 39

ciunt prædicandi diuinam prouidentiam in huius admirandæ molis fabricatione.

Ex quibus ego plurima afferre possem plena eruditionis; sed satis sit narrasse exemplum pulcherrimū quod affertur a Nemesio: qui græce & docte de natura hominis philosophat<sup>9</sup>, est. Ille igitur pene ad calcem operis sui cap. xliij. ex pænâ, quæ peccata insequitur, imo & peccatorum ipsorum detectione quando nemo est qui possit ea arguere, prouidentiam demonstrat. Plenæ sunt inquit ille huiusmodi hystorijs, & Hæbreorum scripturæ & Græcorū litteræ. Huius enim generis fuit Susannæ casus litteris sacris mandatus & apud Græcos Poetæ Ibyci. Hic cum à quibusdam interficeretur, neq. vllā haberet iniuriæ testem conspicatus grues. Vos inquit mortē meam vindicate. Postea quærentibus ciuibus quis cœdem fecisset, nec deprehendentibus accidit; vt cū Theatrū celebraretur, & populus spectādi causa consideret grues præteruolarent. Quas cū vidisset qui cœdis erāt auctores, riserūt, & ecce inquit Ibyci uindices. Quod cū quidā q proxime assidebat, audisset, retulit ad magistratū. Illiq. comprehensi de cœde confessi sunt. Multa huiusmodi scripta legimus quæ si colligantur, nullus esset finis. Quod si non omnium peccata ad eundem modum produntur, imo aliqui effugere videntur; nemo propterea neget esse etiam prouidentiam. Non enim vno tantū modo mortalibus consultum est.

Omissis his a natura deductis argumentis, aut etiam naturæ miraculis afferamus aliqua artis expertia ex auctoritate maximorū philosophorū. Non enim defuerūt qui vel prouidentiam vel eius certe imaginem quandā ponerent. Aegyptij enim oculo descripto Deum ipsum intelligebant, quod vt oculus quicquid sibi propositum est intuetur, sic Deus omnia cognoscit, videt, ac prouidet. Sed nihil ego nunc de Parcīs, quæ partes potius temporis vocari debēt. Nihil disputo de Adrastia, quam in sublimi rerum intelligibilium serie Plato collocavit & eius legem nuncupavit in Phædro necessitatē in intellectualibus, & matrem Parcarum in libro de Repub. & Plotinus in libro primo de prouidentia inuitabilem legum diuinarum potestatem, dum eam ad homines & ad minima quæq. deducit. Et in libro secundo prouidentia fari subiicit, illamq. in mente diuina in ordine mundi intelligi-

bilis

bili, & idearū ponit, hoc vero in ordine mūdi sensibilis & causarū atq. effectūū serie collocat. Hęc n. ego raptim neq. ex proposito.

Illud ego silentio præterire nullo modo possum ex Arabibus quendam Deo providentiam tribuisse rerum cælestium, negasse rerum humanarum. Quem ego reprehendo non secus ac Aristoteles aliquando eos arguit, qui negabant casum & fortunam in humanis, ponebāt in rebus diuinis, in quibus nulla est permutatio, aut temporum vicissitudo. Verum obiciebat fore, si Deus humana intelligeret, vilesceret, a rebus penderet, & demum patetetur, quæ omnia aliena sunt a diuina natura. Sed hæc facile solvuntur. Nō n. vilescit, cum omnia in se ipso intelligat vt objecto nobilissimo, in quo solo, tāquam in speculo p̄fulgent omnia quæcūq. aut fuere, aut futura sunt. Tum vero solis exēplo declarate quilibet posset non vilescere humanarū rerum intelligentia diuinum intellectu. Nam cum infima quæq. lumine perlustrat nusquam tamen inficitur. Neque etiam dependet nisi dicamus Deū pendere a creatura, quod eam cum nihil esset, in hęc locem eduxerit. Quo nihil absurdus. Neq. etiam paritur. Non enim aliunde formas aut elicit, aut excipit, sed sibi ipse forma est & species. Et quidem æqua ratio postulabat, vt cum Deus sit natura omnium nobilissima, principium & causa effectrix, princeps, dominus, vt fiat quibus dominetur. Quamobrem se ipso contentus Deus, vt artifex, vt mouēs, vt omnia conseruans, vt omnium providentiam gerens se ipsum intuetur; & in sua essentia non solum annos, menses, dies, horas, atq. momenta præcognoscit; sed omnium rerum ortus, continuationes, operationes, casus & deniq. omnia, quæ in totum tempus fusa, dispersaq. sunt vnico aspectu contuetur. Hęc mens altissima res ante quam sint cernit, & tempora, quibus illæ existent. Præterea earum vires comprehendit & causas, quod ad præscientiam pertinet. Tum vero media dirigit, vt fines suos consequantur, arte imprimis, vt principio, dispositione vt rerum ordine, & demum providentia tam apte vt nullam introducat fati necessitatem; sed necessaria necessariis, contingentia contingentibus, libera liberis, quæq. demum suis agantur motibus.

Verum audio quorundam clamores, qui hac siderum distinctione pulcherrima, multitudine, varietate atq. ordine vniuersi neglecto

neglecto, & tanta corporum operumq. molitione, atq. hoc ipso  
 humano corporis artificio tam apte elaborato tam pulchre con-  
 texto, & infinitis alijs, quæ solius providentiæ sunt prætermis-  
 sione temere nihilominus ægi omnia asseuerant. Videmus inquit  
 impijs hominibus Dei, Diuorumq. contemptoribus, diuitias,  
 voluptates honores magistratus tribui; iustos vero ac pios & his  
 carere bonis & innumeris inuolui vitæ difficultatibus; quandoq.  
 etiam immensis torqueri doloribus. Hæc ne sunt diuinæ pro-  
 uidentiae opera? Ignoscendum est certe horum dolori, quo fit sæ-  
 pe, vt quæ certissima sunt aliqua suborta perturbatione subob-  
 scura videantur. Id enim ipsum asserere debuissent maximum ef-  
 se diuinæ providentiæ argumentum. Providentiæ enim est per-  
 mittere sæpe virum bonum in calamitates incidere, vt latentem  
 virtutem cæteris prodat. Providentiæ est permittere sanctum &  
 pium hominem in erumnis & miserijs versari, ne scientia ac po-  
 testate sibi data in arrogantiam prolabatur. Providentiæ est de-  
 serere aliquem ad tempus ad correptionem alterius, vt eius ca-  
 sum cæteri admirati erudiantur. Natura enim ita comparatū est,  
 ut scite a Menandro dicitur, vt dum alios in malis cernimus, ipsi  
 animis contrahamur. Quod si cuiquam aduersari rationi videat-  
 ur aliquem vexari ad alterius exemplum; sciat hanc vitam no-  
 stram esse certamen, & stadium virtutis. Itaq. quo labores ma-  
 iores, eo maiora præmia. Nam perperisionis modus, ac finis est præ-  
 miorū remuneratio. Sicq. providentiæ opera, efficiuntur. Quod  
 ita esse, eaq. Deum ratione omnia moderari, quam rerum natu-  
 ra patitur; si quis duo hæc spectet, quæ ab omnibus cōceduntur,  
 facile concedet. Bonus est solusq. sapiens. Quamobrem quod  
 bonus est merito prouidet. Quod sapiens sapienter & optime prouidet.  
 Nā si non prouidet non est bonus. Si non recte prouidet  
 non est sapiens. Itaq. hos duos fines intuentibus nullum pro-  
 uidentie opus damnandum erit: neq. re non explorata, de ea quid-  
 quam detrahendum; sed omnia in bonam partem accipienda  
 sunt. Omnia habenda admirationi, omnia optime geri iudican-  
 da, licet vulgo iniqua videantur. Ac q̄ me maxime mouet in hac  
 inæqualitate est, hinc probari non modo prouidentiam, sed quid-  
 dam maius confici. Illud scilicet non esse in his terris, aut in hac  
 vita plenum iudicium. Non hic sedem. Non hic tribunal merito-  
 rum.

**DE NATURA DIVINA**

rum. Alium locum esse in quo excutienda sit ratio bonorum. Aliud quoddam regnum esse, cuius nullus sit finis. Ad quod ego gentes aduoco, vt his gradibus paulatim ad diuinam naturam perueniant. Primus sit existentia. Secundus vnitas. Tertius simplicitas. Quartus infinitas. Quintus effcientia. Sextus gubernatio. Septimus Prouidentia. Quibus superatis alij deinde sequentur vt quasi scala Iacob ad altissimum illud domicilium diuinitatis, æternitatis, felicitatis, omnium demum bonorū ascendamus.

**F I N I S.**



**Cum Licentia Superiorum.**



**R O M A E.**

**Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales. 1584**